



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XII. Quod ad iustam ordinarii commonitionem causa delegata debet diferri,
& papa propterea consuli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

tus iudex causam auctoritate sibi commissa potest executioni mandare: & si quis sibi resisterit, cum ecclesiastica censura coercere.

C A P. XII. *Idem eidem in e. e.*

Si quando vero clerici coram iudice delegato prelatos ecclesiarum super ecclesiis quas tenent, in causam traxerint, & coram eodem iudice transactione vel alio modo ecclesias obtinuerint, in quibus certum sit eos institutionem canonicam nullatenus habuisse, nec possessionem etiam corporalem, ordinarius iudex non debet delegati iudicis mandato resistere violenter, sed apud ipsum instare, vt differat illos in possessionem mittere, donec nobis rei veritas innotescat.

C A P. XIII. *Idem Herefordensi episcopo.*

Intelleximus ex tuæ fraternitatis relatu, quod quandoque impetrantur a nobis literæ, certam causam habentes ad te & ad alios, aliquando per suggestionem falsitatis, aliquando per suppressionem veritatis. Vnde a nobis consilium postulasti, vtrum secundum formam aut secundum rigorem iustitiæ tunc debeas in ipsa causa procedere. Super quo discretioni tuæ tale damus responsum; quod si literæ nostræ ad te directæ formam expressam habuerint, & cognoueris eas per suggestionem falsitatis & per suppressionem veritatis cum tali forma impetratas fuisse: tunc non secundum formam in eis expressam, sed secundum rigorem iustitiæ in causa ipsa sine personarum acceptione procedas.

Non secundum formam facti, sed secundum rigorem iustitiæ procedendum.

C A P. XIV. *Idem.*

Si autem lis infra certum terminum præcipiatur decidi, non poterit negotium vltra præfixum terminum, nisi communi consensu partium, prorogari. Verum si iudex delegatus aliter fecerit, & fines mandati excesserit, eius iurisdictionem non est dubium exspirare.

C A P. XV. *Idem Londoniensi & Vigorniensi episcopis.*

Peruenerat ad nos ex parte R. senis presbyteri, quod cum ad vos olim literas nostras attulisset, quod si vobis constaret